

acquiri dominium, & tamē testamentum est nullum juxta Jura posteriora, quatenus hæres ab intestato potest apud Judicem ejus rescissionem urgere, ac si nullum fuisset ab initio, & obtemperata rescissione tunc hæreditatem possidere. Itaque vi talis testamenti confertur hæredi instituto dominium, & in hoc impletur domini voluntas, sed istud dominium est debile & revocabile per hæredem ab intestato, & hoc sensu nullum est testamentum. Uno verbo, Jura, quæ talis testamenti validitatem adstruunt, loquuntur de validitate infirma & rescindibili; quæ negant, loquuntur de validitate firma & irrevocabili.

Prob. 3. & præcipue. Leges humanæ eo modo obligant, quo per usum communem recipiuntur; atqui leges, irritantes testamenta minus solemnia, non sunt usu communi receptæ quantum ad hoc, ut qui per tale testamentum possidet, spoliatur antè Sententiam Judicis: hic est enim, inquit Cabassutius loc. cit., communis inter pias & timoratas personas usus, ut qui ab altero, qui alienare potest, aliquid cum bona fide acceperit, sive gratuita, sive onerosa dispositione privata, nullisque adhibitis solemnitatibus, nullis testibus, nulla scriptura, se tutum in conscientia credat, neque ei quisquam prudens, eruditus restitutionem suadeat. Ità & verè laudatus Theologus.

Confirmatur ab inconvenientibus. Hæc nostra Sententia obviat variis conscientie perplexitatibus & peccandi periculis, in quæ inducunt alia Sententia. Quem enim reperies, qui voluntariè dimittat, quod titulo testamenti, alteriusve contractus minus solemnibus absque vi, vel fraude possidet, dum a nemine repetitur? & tamē ad id tenetur sub mortali juxta primam Sententiam. Ex alia parte, quis est, qui resituit id, quod per Sententiam Judicis obtinuit contra dispositionem testamenti, alteriusve contractus minus solemnibus? & tamē ad id sub mortali tenetur juxta secundam Sententiam. Insuper in eadem Sententia Judex, qui non de Legibus, sed secundum Leges debet judicare, cogetur ferre judicium contra justitiam, nimirum addicendo hæredi ab intestato successionem, quæ in ea Sententia ex justitia debetur hæredi instituto. Item juxta hanc eandem secundam Sententiam, si tutor repetat in judicio hæreditatem pro pupillo hæredem ab intestato, peccat mortalitèr, quia in ea Sententia hæres institutus justè & irrevocabilitèr possidet. Si non repetat, cogetur a Judice ad reparandum damnum, quod ex privatione hujus hæreditatis pupillo obvenit. Sicque peccatum vitare non poterit nisi per gravem, & quandoque totalem jacturam suorum bonorum: ergo.

Dices 1. cum 1. Sententia. Inter utrumque forum conscientie & Juris non est distinguendum, ubi Leges non distinguunt; atqui Leges, irritantes testamenta minus solemnia, non distinguunt inter utrumque forum, nec generalitèr & simpliciter declarant irrita, & nulla testamenta, quibus desunt solemnitates requisitæ, ut patet ex Juribus laudatis: ergo sunt irrita tam in foro conscientie, quam in foro civili. Huic argumento, quod præcipuum est, posset responderi: 1. retorquendo argumentum: Leges, quibus sancitur, voluntatem defuncti esse servandam, sunt generales, nec distinguunt; & tamē adversarij distinguunt, atque eas restringunt ad voluntatem habentem debitas formalitates: quidni ergo nos pari jure possumus distinguere? 2. Responderi potest, negando majorem argumenti universalitèr sumptam. Sunt enim multæ Leges civiles irritantes generalitèr, quas tamē Legistæ communiter interpretantur, vel de irritatione in foro civili, non in foro conscientie, cum utriusque sit dispar finis & ratio; vel de irritatione non facta, sed faciendi per Judicem, perinde ac si totum fuisset ab initio irritum. Sic satis communiter intelliguntur Leges irritantes contractus ex errore per dolum circa accidentia, contractus ex gravi metu, contractus pupillorum, & plures alios, de quibus vide Dissert. præced. a. 3. 4. & 5. Sed his responsionibus omissis, R. Nos non distinguere in Legibus objectis inter forum interius & exterius, quin imò dicimus, valere etiam quoad forum interius, sed eo modo quo sunt receptæ, non enim aliter obligant; non sunt autem sic receptæ, ut tollant omnem omnino obligationem naturalem ortam ex voluntate Testatoris, sed ut eam reddant infirmam, & rescindibilem per Judicem; ita ut, quamvis hæres institutus vi testamenti imperfecti justè in conscientia possideat hæreditatem, hoc ipso tamē quo hæres ab intestato urgebit invaliditatem testamenti, & hæreditatem repetet, primus tenebitur in conscientia illi restituere, & iste secundus tunc in conscientia retinebit.

Instabis. Testamentum minus solemnne non magis jus tribuit hæredi instituto, quam si testator decesseret intestatus; atqui, si decesseret intestatus, talis hæres nullum

jus, neque etiam infirmum, haberet: ergo. Prob. Major, quia tale testamentum in Jure habetur pro nullo, & pro infecto: ergo. R. N. Majorem. Ad probat. D. Tale testamentum habetur in Jure pro nullo quoad obligationem civilem, & quoad effectus secundarios obligationis naturalis, qui sunt tribuere jus impediendi repetitionem, excipiendi, & compensandi, concedo. Quoad effectum primarium obligationis naturalis, qui est tribuere jus accipiendi & retinendi, nego; quia Jus irritans non est sic receptum. Insuper potest aliquo bono sensu dici absolute nullum hujusmodi testamentum; quia, licet transferat dominium debile, attamen quadam Juris fictione sic a Judice est irritandum; ac si ab initio nullum omnino, sive infectum fuisset, rescisso omni ejus effectu & fructu, quem primus possessor inde perceperat. Confer. a. 5. cit. Dissert. præced. Conclus. 4. de pupillis.

Dices 2. pro 2. Sententia. L. Esti inutiliter. C. De fideicommissis l. 2. tit. 42. sancit Imperator Anton. non posse per te repeti fideicommissum, relicto a defuncto inutilitèr (id est, in scriptura minus solemnibus), si tu sciens voluntatem defuncti, cujus es hæres, illud præstitisti: & rationem subdit; quia non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicta fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videtur. Et l. finali. C. eod. hæres cogitur ad præstandum legatum ex testamento minus solemnibus, vel jurare eam non fuisse voluntatem defuncti. Idem §. ultimo. Instit. de fideicommissis: ergo. R. His Juribus non jurari secundam Sententiam; quia, si ex illis concludi possit generalitèr, testamentum imperfecta valebunt utique, non solum in foro conscientie, sed etiam in foro civili; quod tamē Patroni hujus Sententie, excepto forè Abbate, hoc admittunt. Dicendum itaque, has Leges respicere tantum legata & fideicommissa, non generalitèr testamenta; quin potius hæc exceptio firmari Legem generalem de testamentis.

Utrum verò vi harum legum fideicommissa & legata ex testamento minus solemnibus sint in foro civili adscribenda legatario & fideicommissario? R. ita forè observari in locis, qui Jure Romano utuntur; at non in locis, qui vel consuetudine, vel Jure particulari reguntur, in quibus regularitèr irritantur universim ultimæ voluntates (excipite legata pia), quæ solemnitatibus requisitis non videntur, ut patet in Belgio ex dicto anni 1611.

Dices 3. pro eadem sententia. Leges irritantes testamentum imperfecta fundantur in præsumptione fraudis; idè enim lata sunt, ut obviaret fraudibus, quæ irreperere possunt, si non adhiberentur conditiones requisitæ: ergo, ubi constat non esse fraudem, sed esse voluntatem testatoris, cessant: quia cessante fine legis, cessat lex, ut patet in lege correptionis fraternalis, quæ cessat, ubi nulla est spes emendæ, quæ est ejus finis. R. Leges irritantes testamentum imperfecta non fundantur in præsumptione, quod sit fraus actualitèr in hoc, vel illo testamento, sed in præsumptione, quod possit, seu soleat esse fraus in testamentis minus solemnibus: hæc autem præsumptio, seu ratio subsistit, quamvis de facto non sit fraus in aliquo particulari casu, quia hoc non obstante semper verum manet, quod possit, aut soleat in hujusmodi casibus adesse. Ad paritatem de correptione fraternali, disparitas est, quod finis adæquatus hujus legis sit bonum particulare corripiendi; quod ubi cessat, etiam cessat obligatio legis. At finis legum, de quibus est questio, est bonum commune, quod non cessat ex aliquo particulari casu.

Observant hic quidam, quod, cum tres sententiarum propositæ sint probabiles, & ex earum probabilitate oriatur dubium, tutius esse in praxi hæreditatem dividere pro rata dubii, inter hæredem institutum & hæredem ab intestato. Id equidem admitti potest in iis, quibus omnes sententie sunt æquè probabiles. Alioquin nemo prohibetur sequi eam, quam reputat verè probabilior.

Nota bene: quod huc usque diximus de testamentis minus solemnibus, idem dicendum arbitramur cum sæpè laudato Cabassutio de donationibus inter vivos, aliisque contractibus; quia eadem rationes militent, & ea maxime, quod leges eos irritantes non videantur aliter usu communi receptæ, ut diximus. Excipite tamē eos contractus, ad quos leges reddunt contrahentes inhabiles, vel quos irritant sub his, aut similibus formulis: *coram Deo, in conscientia, nullam parere obligationem naturalem; non posse peti debitum, sive in judicio, sive extrà; acceptum in conscientia esse reddendum* &c. Supposito tamē, quod sic usu communi sint receptæ, quales sunt contractus pupilli cum tutore, alienatio bonorum immobilium pupilli, sine auctoritate Judicis, contractus matrimonialis initus cum impedimento dirimente, Professio Religiosa antè annum probatio-

tionem completum, seu antè annum ætatis 16 etiam completum, & alii. Sed & pro istis ultimis est specialis ratio. Quia contractus matrimonialis semel validus est irrevocabilis; unde vel absolute nullus, vel est in omni foro irrevocabilitèr validus; idem dic de professione Religiosa, quæ cum sit quasi spirituale matrimonium, semel valida irritari non potest.

§. IV. Qui possunt testari, aut aliter disponere causa mortis.

R. Esp. Cuique habenti bona liberum est de eis disponere causa mortis, nisi jure vel naturali, vel positivo prohibetur, nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis (postquam jam aliud vellet non possunt) liber sit stylus, & licet quod iterum non reddat arbitrium. L. 1. C. De Sacrosanct. Eccles. Jure naturali autem testari prohibentur, qui carent usu rationis, infantes, furiosi, amentes, quorum tamē ultimæ dispositiones factæ tempore lucidi intervalli sunt valide. §. Preterea Instit. Quibus non est permissum testari. Jure positivo prohibentur testari, aliterve disponere per modum ultimæ voluntatis: 1. Impuberes, hoc est masculi antè 14. annum completum, foemine antè 12. completum ob judicii immaturitatem; sufficit tamē, si ultimus dies sit inchoatus L. Si frater C. qui testam. fac. poss. & L. a qua ætate ff. eod. 2. Sordus simul & mutus a nativitate, L. Discretis C. eod. secus, si sit sordus & mutus superveniente infirmitate. In multis autem locis consuetudinariis sordus simul & mutus, etiam a nativitate, testari potest, si aliquibus signis possit sufficienter manifestare suam voluntatem. 3. Uzurarius manifestus, nisi prius satisfecerit, aut cautionem præstiterit, c. Quamquam De usuris in 6. 4. Prodigus, cui bonorum administratio est interdicta; §. Item prodigus Instit. eod. admittitur tamē in quibusdam locis ex consensu Magistratus, aut Tutoris. 5. Servus, seu mancipium L. Filius familias ff. de testam. 6. Captivus, vel obses apud hostes detentus: valet tamē testamentum antea factum §. ultimum. Instit. Quibus non est permissum testari. 7. Damnatus ad mortem, ita ut ejus testamentum factum antè damnationem, etiam per eam iulimetur L. Ejus. §. 1. ff. de testam. & alibi. Hæc revocari possunt, qui ob crimen prohibentur testari, ut sunt hæretici, eorum fautores, excommunicati &c. Sed consuetudo contraria invaluit.

8. Filius familias testari potest de bonis castrensibus, & quasi castrensibus L. Ultim. C. Qui testam. fac. poss. Non de adventitiis, etsi Pater consentiat. L. Qui in potestate ff. De testam. & alibi. Excipit, nisi testetur ad causas pias, cap. Licet. De sepultur. in 6. & nisi sit Clericus. Authent. Presbyteros C. De Episcopo & Clerico. Potest tamē donare mortis causa de bonis adventitiis, Pater consentiente. L. Filius familias ff. de donat. Undè, si Filius familias, condens testamentum de consensu Patris apponat clausulam, ut valeat saltem per modum alterius ultimæ voluntatis, ut valeat donatio causa mortis, si tamen is, cui relinquitur, acceptet.

9. Clericus non potest testari de bonis Ecclesiasticis superfluis, nisi de licentia Episcopi ad causas pias, Cap. Relatum, & cap. Ad hæc. De testamentis; sed hæc Jura contraria consuetudine inoleverunt. Imò nunc Clericis ab intestato decedentibus succedunt consanguinei: excipit forè mobilia, quibus Episcopi in certis Provinciis succedendi jus habere contendunt; quod àn verum sit, inquit Daëlmann, jurisperitorum est examinare. 1. Tandem Religiosis testari prohibetur Authent. Ingressi C. De Sacrosanctis Ecclesiis l. 1. tit. 2. Est tamē probabile, attentio Jure communi, quod de licentia Prælati possit saltem donare causa mortis, si enim ex hac licentia possit donare inter vivos, quidni causa mortis? Nec refert, quod non possit facere testamentum; plus enim juris & legitime facultatis requiritur ad testamentum, quam ad donationem causa mortis. Undè Filius familias, ut supra dicebamus, testari non potest etiam de consensu Patris, & tamē donare potest causa mortis. Ità docent Navarr. & alii plures apud Layman. Cæterum videtur certum, quod Religiosis possit facere dispositionem de peculio, seu mobilibus sibi concessis non obligatoriam, sed deprecatoriam, ut tali, vel tali distribuatur, quam autoritate sua confirmare potest Prælatum.

Insuper docent communiter Authores, SS. Pontificem dare posse Religioso licentiam testandi, sicut de facto solet concedere iis Regularibus, qui ad Episcopatum, vel Cardinalatum promovuntur, & de jure, aut consuetudine concessa est Religiosis Ordinum Militarium. Idem certò constat, Novitium posse facere testamentum, quod per professionem tanquam per mortem spirituales confirmatur; ita ut amplius revocari non possit. Authent. Nunc autem C.

De Episcopis & Clericis, & alibi. Utrum autem interim Monasterium fruatur ejus bonis, donec morte corporali moriatur? quidquid sit de Jure scripto, id nunc non est in usu, neque in Gallia, neque in Belgio.

§. V. Utrum Testamentum, alterave ultima voluntas possit revocari?

R. Esp. Testamentum, & quævis ultima voluntas semper revocari potest ad nutum testatoris: Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremum vite exitum. L. 4. ff. De adimpub. legat. Et Apostolus ad Hebr. 9. Testamentum in morte confirmatur. atque est sensus communis hominum; unde in omni ultima voluntate hæc clausula de jure subintelligitur, nisi revocetur antè mortem. Revocatur autem duplicitèr, vel per alterum testamentum validum, vel per factum contrarium testatoris: ut si testamentum scriptum fuerit, si nomen hæredis deleat &c. si testamentum nuncupativum revocet coram totidem testibus, quot ad illud faciendum adhibuit.

Potes, utrum, si testator juraverit se non revocaturum testamentum, possit nihilominus revocare. R. Non potest licet propter religionem juramenti, quod, cum possit absque peccato servari, obligat. Potest tamē valide; quia obligatio juramenti est tantum obligatio personalis & Religionis, quæ idè nec transit ad hæredes, nec ullum jus ad hæreditatem confert hæredi instituto. Sed quid, si non tantum juraverit, sed jurando promiserit hæredi acceptanti se non revocaturum? R. Nihilominus posse etiam valide revocare; quia, quod uni promissum est tantum, potest alteri valide donare.

Utrum verò hæc promissio sit obligatoria, ita quod jus ad hæreditatem conferat hæredi instituto? dubium est. Affirmant quidam; nihil enim videtur deesse tali promissione, ut valeat & obliget. Potest tamē valide; quia obligatio juramenti est tantum obligatio personalis & Religionis, quæ idè nec transit ad hæredes, nec ullum jus ad hæreditatem confert hæredi instituto. Sed quid, si non tantum juraverit, sed jurando promiserit hæredi acceptanti se non revocaturum? R. Nihilominus posse etiam valide revocare; quia, quod uni promissum est tantum, potest alteri valide donare.

Utrum verò hæc promissio sit obligatoria, ita quod jus ad hæreditatem conferat hæredi instituto? dubium est. Affirmant quidam; nihil enim videtur deesse tali promissione, ut valeat & obliget. Potest tamē valide; quia obligatio juramenti est tantum obligatio personalis & Religionis, quæ idè nec transit ad hæredes, nec ullum jus ad hæreditatem confert hæredi instituto. Sed quid, si non tantum juraverit, sed jurando promiserit hæredi acceptanti se non revocaturum? R. Nihilominus posse etiam valide revocare; quia, quod uni promissum est tantum, potest alteri valide donare.

§. VI. De Hæreditibus.

Hæreditas est successio juridica in jus defuncti ratione propinquitatis, vel legitime institutionis. Dicitur Successio juridica; cum enim mortuo domino bona ejus essent Jure naturæ derelicta, & omnibus communia, Jure gentium & civili occupantur vel à sanguine junctis, vel ab eis, quos dominus moriturus instituit. Hinc duplex est hæreditas, duplex hæres, ab intestato & ex tes-

tamento. Hæres ex testamento alius est universalis, alius particularis. Alius necessarius, alius non necessarius. Explicatur breviter.

Hæres ab intestato.

Dicitur, qui ratione propinquitatis succedit in bonis illius, qui nihil, aut invalide disposuit. Et sunt 1. legitimæ proles, sive mares, sive foeminae æqualibus portionibus; in quorum mortuorum locum succedunt nepotes non in capita, id est, non æqualibus portionibus, sed in stirpes, id est, in ea parte, quam pater aut mater earum haberet, si viveret. Novell. 118. collat. 9. c. 1. 2. Deficientibus descendentibus succedunt ascendentes, pater & mater deinde avus & avia, &c. cum fratribus & sororibus defuncti ex utroque parente ipsi conjuncti. Cit. Novell. c. 2. & authent. *Defuncto C. ad s. c. Tertull. 3.* Deficientibus ascendentibus veniunt collaterales. In primis fratres & sorores ex utroque parente conjuncti, & eorum filii, diversimodè tamèn: fratres & sorores succedunt in capita, filii in stirpes tantum Authent. *Itaque C. Communis de success. & Novell. 118. cit.* Deinde his deficientibus succedunt fratres & sorores ex uno parente tantum conjuncti, & eorum proles, quæ præferuntur patri defuncti; cum hoc tamèn discrimine, ut qui ex parte patris sunt conjuncti, succedant in bonis a patre provenientibus, & qui conjuncti sunt ex parte matris, in bonis a matre provenientibus; in reliquis æqualitèr omnes. Gloss. in cit. authent. *Itaque.* Tandem his non existentibus succedunt in capita propinquiores collaterales, àn ex utroque latere, àn ex uno tantum sint conjuncti, modò sint in æquali gradu. Authent. *Post fratres C. de legitimis hereditibus.* Dixit *decimum gradum civilem:* Notandum autèm, quòd duo gradus civiles unum gradum canonicum constituent; unde fratres, qui secundum leges civiles dicuntur in 2. gradu, secundum canones numerantur in 1. filii fratrum, qui illic numerantur in 4. hic computantur in 2. & sic de cæteris. Cap. *Ad sedem 2. causa 25. q. 5.* Hic itaque per 10. gradum intellige quintum. 4. His omnibus deficientibus venit vir ad successionem uxoris, & uxor ad successionem viri. *Unica C. Unde vir & uxor.* In Provinciis autem consuetudinariis res aliter se habet, & singularitèr in provincia Leodiensi, deficientibus prolihus legitimis, uxor succedit in omnibus bonis mariti; ubi verò sunt proles legitimæ, succedit in immobilibus quoad usumfructum tantum, proprietate devoluta prolihus; in mobilibus autèm succedit quoad proprietatem & usumfructum. Consuet. Leodiens. cap. 11. art. 13. & 15. Ultimo tandem, his omnibus præfatis deficientibus, venit Fiscus. L. 1. *C. de bonis vacantibus.* Hæc omnia intellige de Jure communi, & nisi sit pactum, aut consuetudo contraria, ut in quibusdam annotavimus.

Petes, quis succedat bonis & juribus Religiosis, si de his antè professionem non disposuerit? R. Jure communi succedit Monasterium habens jus successionis, qualia sunt omnia Monasteria, etiam Mendicantium (exceptis Capuccinorum & Minoritarum de Observantia, item Domibus & Collegiis Societ. Jesu, juxta suas constitutiones) salva tamèn legitima debita hæreditibus necessariis. Ità expressè Novell. Justin. 5. c. 5. Authent. *Signa mulier C. de Sacrosanctis Eccles. Novell. 123. c. 38.* & alibi, quod Jure canonico prob. c. *Si qua mulier causa 19. q. 3. & cap. Non liceat.* ibid. Idque conformitèr rectè rationi: cum enim Religiosus debeat vivere in Monasterio & ex Monasterio, par est, ut illi res ejus potius cedant, quàm aliis, quibus nihil debet, & a quibus nihil expectat: inde etiam augetur cultus Divinus & numerus Deo servientium. Ex quo inferes, Monasterium gaudens omnibus juribus Monachi professi succedere etiam ab intestato parentibus ejus, sicut ipse manens in seculo successisset, & ità exprimitur Juribus cit. Verùm his omnibus Juribus derogatum est in his Provinciis, & in pluribus aliis. Imò hic monendum ducimus, quòd, si Monasterium sit jam aliunde opulentum, consultius sit Professurum antè Professionem distribuere bona pauperibus, maxime consanguineis, quàm relinquere Monasterio. Ut enim dicit Ambros. *C. Aurum.* *Causa 12. q. 2. Aurum Ecclesia habet, non ut seruet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus ad alimniam pauperum.* Et Chrysostomus hom. 45. in c. 23. *Matth. Vis domum Dei edificare? da fidelibus pauperibus unde vivant, & edificabitur athenabilem domum Dei.*

Hæres ex Testamento.

Is est, qui ultima voluntate morientis instituitur ad succedendum in suis bonis. Institui potest omnis homo, etiam infans & amens, etiam Communitas, Conventus, aut Collegium, nisi speciali lege prohibeantur. L. 1. *C. De sacrosanctis Eccles.* Quin imò ipsi Religiosi professi Jure communi possunt institui hæredes, sicut dixi modò posse succedere ab intestato L. *Deo nobis §. Hoc etiam C. De Episcop. & Cleric. & c. Non liceat.* 19. q. 3. Intellige de Religiosis & Conventibus, quibus licet possidere bona in communi, ut sunt omnes Ordines etiam Mendicantium, exceptis Fratribus Minoribus de Observantia & Capuccinis. Ratio est; quia, licet Religiosi professi sint incapaces proprietatis, attamèn quatenus snt membra Communitatis, capaces sunt omnium jurium, quorum hæc Communitas in communi est capax. Unde omnia bona & jura, quæ Religioso obvenire possunt, sive ex testamento, sive ab intestato, sive legato, sive donatione, aut industria, non tam ipsi, quàm Ordini, aut Monasterio acquiruntur, & hujus intuitu censetur hæreditas delata ad Monasterium. Verùm huic communi quoad hæreditatem, sive ex testamento, sive ab intestato, Jure spec. a Belgarum derogatum est ex Edicto Carolo V. dato 21. Februarii 1528., similiter in multis aliis Provinciis, ut jam notavi.

Item Lege civili prohibentur hæredes institui Civitates hostium, Communitas Judæorum, Apostata, Hæretici, eorum fautores; & si intra annum non respiciant; pæsecutores Ecclesiarum & Cardinalium; & generalitèr quicumque prohibetur ob crimen testari, prohibetur paritèr hæres institui juxta Glossam in c. *Is, cui ff. Qui Testamenta.* Specialis autèm est difficultas de illegitimis, nulla habita ratione.

Nota, proles illegitimas alias dici naturales, alias spurias. Proles naturalis est, quæ nascitur ex non conjugatis, inter quos tempore conceptionis, vel nullum erat impedimentum dirimens, vel erat tale, quod per ipsos coeuntes tolli, ut error, metus, cultus disparitas, &c. vel tandem, si per ipsos coeuntes tolli non posset, ignorabatur saltèm ab una parte contrahentium, quia tunc ex illa parte fuit simplex fornicatio. Proles spuria est, quæ nascitur ex parentibus, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens, quod ab ipsis coeuntes & illud scientibus tolli non poterat, ut ligamen, consanguinitas, affinitas, &c. Hoc notato,

Dico 1. Proles naturalis, non legitima, Jure Romano, non succedit Patri ab intestato, bene Matrì etiam ex asse, si nullas alias proles legitimas habet; si verò habeat, æqualitèr succedit cum aliis. L. *Si qua illustris. C. Ad S. C. Orificianum.* Item potest ex testamento institui hæres etiam universalis, sive a Patre, sive a Matre, si nulla sit alia proles legitima. Quod si sit, non potest institui nisi quantum ad unciam, seu duodecimam partem hæreditatis. authent. *Licet; C. De naturalibus liberis;* Jure Gallorum proles naturalis nemini potest succedere ab intestato; nisi propriis prolihus legitimis. Quantum ad successionem ex testamento, diversæ sunt Consuetudines. Pontas verbo *Illegitimè & verbo Testament.* in Proemio.

Dico 2. Proles spuria non legitima nihil potest accipere a Patre, vel a Matre, sive per testamentum, sive ab intestato, sive per contractus, præter necessaria victui & amictui. L. *Licet; C. De naturalibus liberis.* Novell. 74. cap. 6. & alibi.

Dixi 1. *A Patre & Matre;* quia potest ab aliis accipere, & hæres institui. Item, quia, licet Jura loquantur tantum de Patre, Jurisperiti tamèn etiam ea interpretantur de Matre; quia, inquirunt, non debet distingui inter Patrem & Matrem, nisi Jus expressè distinguat; quod non fit in presenti casu, sicut fit in casu prolihus naturalis. Sicut autèm proles spuria non potest succedere Patri & Matrì, ità nec Pater & Mater proli spurie.

Dico 2. *Præter necessaria victui & amictui.* Idem etiam prohibuit Jus civile, sed tanquam quid nimis durum emendavit Jus Canonicum. Cap. *Cum haberet De eo, qui duxit in matr. l. 4. tit. 7.* Cui nunc annuit Jus civile. Dixi in utraque Conelus. *Proles non legitima;* quia proles legitima succedit, sicut alie proles legitimæ: (*Supr. q. 68. a. 3. a.*) dicitur autèm proles legitimari; non quasi fiat de legitimo coitu nata, quia coitus ille transivit, & nunquam potest fieri legitimus ex quo semel fuit illegitimus; sed dicitur legitimari in quantum damnæ, quæ illegitima proles ex legis auctoritate incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem.

Sex modos legitimisationis refert S. Th. (*Ibid.*), quorum duo primi dumtaxat sunt in usu, scilicet per legitimum matrimonium subsequens, & per summum Pontificem, aut Principem. Proles naturalis legitimatur per subsequens matrimonium, tam quoad effectus civiles, quàm Eccle-

siasticos. Novell. 80. c. 8. & alibi.

Quantum ad prolem spuriam: quidam indistinctè dicunt nullam legitimari per subsequens matrimonium, sed per solam dispensationem SS. Pontificis quoad effectus Ecclesiasticos, & dispensationem Principis quoad effectus civiles: attamèn quotidie videmus natos ex concubitu incestuoso legitimari per subsequens matrimonium, tam quoad munia civilia, quàm Ecclesiastica, obtenta sola dispensatione SS. Pontificis, aut Episcopi super impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis. Melius ergo distingue cum aliis; & dic, quòd, si impedimentum, quod inter Parentes intercedebat tempore conceptionis, erat dispensabile per aliquam potestatem humanam, ut consanguinitas in linea collateralis, legitimatio fiat per subsequens matrimonium, quia in tali casu proles non est spuria nisi per Jus humanum, puta Canonicum, statuens consanguinitatem in tali gradu lineæ collateralis dirimere matrimonium: undè, cum Pontifex, aut Episcopus dispensat in tali Jure, proles, quæ erat antè spuria, fit tantum illegitima naturalis; proles autèm naturalis legitimatur, ut dictum est, per subsequens matrimonium; & idè talis proles est apta ad omnes effectus tam civiles, quàm Ecclesiasticos. At, si impedimentum non poterat tolli per aliquam potestatem humanam ut est ligamen, quando quis v. gr. nascitur ex adulterio; tunc non legitimatur per subsequens matrimonium, sed per dispensationem Pontificis quantum ad effectus Ecclesiasticos, & per dispensationem Principis quantum ad effectus civiles; quia nempe; est utroque Jure spuria.

Petes 1. Utrum Pater, aut Mater possit dare, vel legare aliquid Filio spurio per fideicommissum? R. Negative. Perinde est enim, an accipiat immediatè a Patre, vel mediatè per alium ex ordinatione Patris. Idem est dicendum de uxore respectu viri, aut viro respectu uxoris in his locis, in quibus prohibentur donationes inter conjuges, & de omnibus illis, qui per leges legatarij, aut hæredes institui nequeunt.

Utrum verò sic acceptum sit obnoxium restitutioni? R. Eo modo esse obnoxium, quo modo esset, si immediatè absquè fideicommissum donaretur, aut legaretur. Quia hujusmodi fideicommissum est in fraudem legis: fraus autèm & dolus nemini patrocinantur. Utrum jam, si immediatè esset acceptum absquè fideicommissum, esset restituendum, pendet ex his, quæ diximus §. 3. hujus articuli, præsertim sub finem. Si enim leges sic prohibeant hujusmodi donationes, aut legata, ut donatarij, seu legatarij reddant inhabiles ad recipiendum, quales esse, non pauci volunt, leges prohibentes donare spuris, aut conjugibus inter se, sique sint usu receptæ, tunc acceptum est legitimis hæredibus restituendum.

Sed quid, si jam hæres absolutè instituto Patre, aut Marito cum roget, ut hæreditatem, vel ejus partem det spurio, vel uxori, & ipse hæres promittat? R. Hanc promissionem esse illicitam & invalidam, utpotè factam contra leges eam prohibentes. Si tamèn hæres non vi hujus promissionis, sed vi domini, quod ex institutione absoluta acquisivit, aliquid daret spurio, aut uxori, videtur validè donatum, nec restitutioni obnoxium; quia, licet Jura prohibeant promissionem factam testatori, non tamèn prohibent, quin hæres ut verus illorum bonorum dominus possit ea dare, cui voluerit, etiam spurio, aut uxori.

Petes 2. Utrum Parentibus testantibus licitum sit uni proli plus relinquere, quàm aliis? R. Licere justis de causis, quales sunt, si proles de testatore suis obsequijs plus sit merita, si infirma, si pusilla, si ad studia sint faciendi sumptus, si consuetudo postulet, ut primogenitus aliis, masculus foemina præferatur. Peccant verò, si sine justa causa & ex affectu inordinato inter liberos, quos natura fecit æquales hæredes, inæqualitatem constituant, magnumque rixarum & odiorum fomentum subministrant.

Hæres universalis. Hæres particularis.

Hæres universalis, sive *Ex asse*, est, qui instituitur ad succedendum omnibus bonis & juribus defuncti, & consequenter ad subeunda omnia ejus onera & debita realia. Hæres enim personam defuncti quoad jura & onera realia representat. Hæres particularis est, qui instituitur ad succedendum hæreditatis parti aliquotæ, seu inde terminatæ, puta ad tertiam, quartam partem; & illi incumbunt etiam onera defuncti pro rata partis. Quod si instituitur ad certam aliquam & determinatam partem, puta ad hoc prædium, non censetur hæres, sed legatarius, ad quem defuncti neque jura neque onera spectant.

Hæc ut melius intelligas, nota, quòd hæc vox *As* ex

primaria institutione significet pondus, seu libram Romanam 12. unciarum, & inde translata sit ad significandum ipsam hæreditatem divisam in 12. partes, quæ vocantur unciæ, & habent nomina propria, scilicet *Sextans*, id est, una uncia. *Sextans*, id est, sexta pars hæreditatis, scilicet duæ unciæ. *Triens*, id est, tertia pars hæreditatis, scilicet tres unciæ. *Quadrans*, id est, quarta pars hæreditatis, scilicet quatuor unciæ. *Quincunx*, id est, quinque unciæ. *Semis*, id est, dimidium hæreditatis, seu sex unciæ. *Septimus*, id est, septem unciæ. *Bes*, id est, octo unciæ. *Dodrans*, id est, novem unciæ. *Dextans*, id est, decem unciæ. *Denus*, id est, undecim unciæ. Duodecim verò unciæ appellatione *Assis* continentur. Igitur hæres universalis vocatur hæres *Ex asse*; qui autèm instituitur ad unam, duas, tres unciæ, dicitur hæres particularis.

Hæres necessarius. Hæres non necessarius.

Hæres necessarius est, quem testator tenetur instituere in portione legitima, nisi justam exheredandi causam habeat, qualis est ingratitude enormis, & injuria atrox in testatorem, prout explicatur Authent. *Utrum. De appellat. cognosc. c. 3. & 4. collat. 8. tit. 16.* Et hi sunt omnes ascendentes & descendentes legitimi: ità quòd, si alicui ex his portio legitima relinquatur, ei competat actio per 30. annos ad petendum complementum; & si omninò prætereatur, atque nihil ei relinquatur, testamentum est ipso jure nullum quoad institutionem hæredis, non tamèn quoad legata. Authent. *Et causa. C. de liberis præteritis;* eique competit actio 30. annorum ad urgendam nullitatem testamenti. Quòd si causa legitima exheredationis sit apposita in testamento, sed ab hærede instituto probari non possit, competit hæredi necessario contra institutionem hæredis querela inofficiosi testamenti per quinque annos. L. *Si quis filium 34. L. Scimus 36. C. de inoffic. testam.* Legitima autèm, ut jam observavi, est tertia pars hæreditatis, quæ uni obveniret ab intestato, ubi non sunt plures liberi, quàm quatuor; si sunt plures, est mediæ pars. Quòd si deficient descendentes, legitima ascendenti est semper 3. pars hæreditatis. Si neuter parens supersit, in locum patris succedit avus & avia paterna, in locum matris avus & avia materna. Authent. *de hæred. ab intest. §. consequens & seq.*

Hæres non necessarius est, quem testator non cogitur instituere, etiam in portione legitima, ut sunt omnes collaterales, etiam fratres & sorores. Undè hi infirmare testamentum non possunt, eò quòd sunt præteriti, nisi fortè testator instituisset infamem, quo casu ipsis competit querela inofficiosi testamenti: nisi fortè & ipsi sint infames, aut ingratitude erga testatorem notati.

Nota, omnem hæredem sive ab intestato, sive ex testamento, sive necessarium, sive non necessarium posse acceptare vel repudiare hæreditatem. Item posse acceptare, vel purè & simpliciter, vel sub beneficio inventarii. Jure Romano conceditur annus ad deliberandum, àn velit, nec ne, acceptare: & hoc jus si intra annum hæres moriatur, transmittit ad hæredes. Statim autèm ac acceptavit simpliciter, etiam antequàm possideat, transfert in se omnia tam jura & bona, quàm onera & debita realia defuncti, etiamsi superent vires hæreditatis, saltèm in foro externo; nam in foro conscientie eximunt ab eorum solutione Sylvester verbo *Usura 6. q. 10. Layman l. 3. t. 5. c. 6. n. 7.* & alii apud ipsum; quia, inquirunt, ista lex civilis fundatur in fraudis præsumptione, quæ est contra hæredem, si inventarium non conficiat. Præsumptio autèm cedit veritati cognitæ cap. *Tua. De usuris in fine.* Censetur autèm quis purè & simpliciter hæreditatem acceptare, quando ut hæres exercet aliquem actum circa hæreditatem, ut si debita hæreditati recipiat, aut debita ab hæreditate solvat; si quædam mobilia subtrahat, aut agrum colat; si ipsam hæreditatem, vel ejus partem donet, aut vendat. Intellige tamèn, modò sit major 25. annis; minoris enim his non obstantibus, imò etsi explicitè acceptaret hæreditatem purè & simpliciter, non censetur nisi hæres beneficiarius. L. *Necessarius 57. ff. De acquirend. hæredit.* Si hæreditatem acceptet sub beneficio inventarii, non tenetur ad debita defuncti ultra vires hæreditatis. Hoc inventarium secundum Jus commune hæres debet incipere intra 30. dies a cognita hæreditate sibi delata, & absolvere infra 60. alios dies: ad confectionem inventarii certæ formalitates requiruntur secundum diversas leges, aut consuetudines particulares.

Quæritur, utrum renuntiatio hæreditatis future sit valida? R. 1. Renuntiatio tuda future hæreditatis in toto, vel

vel in parte facta ab herede necessario, Jure communi est irrita. *L. Qui superstitis. ff. de acquirenda hered. & alibi.* Quia e re boni publici esse Jura existant, si hereditates pactis nec dari nec auferri possunt. Dixi: *nuda*, quia, si sit jurata, valet, *cap. Quamvis pactum. De pactis* in 6. Item valet, si heres vivo Patre accepit portionem integram, quae ipsi jure debebatur. Si tamen postea bona Patris augeantur, poterit petere legitimam hujus augmenti. Item valet, si quis in ipso actu testandi renuntiet juri successionis suae, aut post conditum testamentum, in quo est omissus, omissionem approbet.

R. 2. Omne pactum, de hereditate certae personae vivens cedenda alteri particulari est etiam ipso jure irrita. *L. ultima de pactis.* Quia, ut ibi dicitur: *hujusmodi pactiones odiosa esse videntur, & plena tristissimi & periculosi eventus*: idque ait Glossa, *propter insidias, quae parantur ejus vitae, super ejus bonis pactentur.* Dixi 1. *Certa personae vivens*, quia valet, si sit incertae personae: ut si dones Titio hereditatem quamlibet, quae tibi in totius vitae decursu, vel infra certum tempus obveniet; quia tunc cessat periculum vitae alterius insidiandi. Dixi 2. *Cedenda alteri particulari*; quia valet, si cedatur alicui communitati, quia etiam in hoc casu cessat finis legis, nempe periculi insidiandi vitae alienae; *quod enim Collegio datur, cum singulorum non sit, quasi nemini datur; & naturale vitium est negligit, quod communitate possidetur,* ait Glossa in *c. Cum venisset de Restit. spoliat.* Valebit etiam tale pactum, si accedat consensus illius, de cuius hereditate agitur, *L. ultim. cit. c. de pactis.*

3. Item Jure civili irritum est pactum mutuum de successione reciproca. *L. Licet c. de pactis.* Quia, ut jam dixi, jus hereditatis futurae pacto acquirit, vel auferri Jura vetant. Valebit tamen, si fiat per modum ultimae dispositionis utrimque revocabilis, ut frequenter accidit inter conjuges.

R. 4. Jure novo Tridentini, quaecumque renuntiatio, vel obligatio facta a novitio ante duos menses praecedentes professionem, etiamsi sit juramento firmata, est invalida. *Trid. sess. 25. de Regular. cap. 16.*

Hoc autem decreto non comprehendunt ultimae voluntates semper revocabiles, neque contractus reciproci, in quibus aliquid mutuo datur & recipitur, ut venditio, permutatio, &c. neque modicae donationes, quia finis hujus legis est ne novitio bonis spoliati inviti profiteantur; quod periculum non currit in his casibus. Comprehenditur tamen renuntiatio, seu obligatio sub conditione futurae professionis, quia inde etiam laeditur libertas Religionem deserendi, cum, qui possident, a possessione semel adepti aegre deiciantur, neque id fiat ordinariè absque querela & contradictione. Utrum verò comprehendatur renuntiatio, seu donatio facta ante susceptionem habitus, intuitu tamen Religionis ingrediendae? Dubium est, aliis argumentis, aliis affirmantibus. Satis probabile est, quod comprehendatur; tunc quia Concilium non exprimit in suo decreto tempus novitatis: ergo ad illud non debet restringi; tunc quia alioquin Concilium non obtineret finem suum, scilicet libertatem novitorum. Citantur pro & contra declarationes Congregationis Cardinalium.

§. VII. De Executore Testamenti.

Testamenti executor est is, quem testator nominavit: quod si nullus sit nominatus, executori testamenti pertinet ad haeredes. Colligitur ex *c. Nos quidem de Testam. l. 3. tit. 26.* Quod sit intra annum executor, aut haeres testamenti executionem non perfecit, devolvitur ad Episcopum, saltem quoad legata pia. *Ibid. & c. Tua nobis infra.* Institui possunt unus, vel plures executores, & quando unus abest, alter potest solus executionem perficere. Item possunt institui foeminae. Item & Religiosi de licentia sui Praelati; est enim pium opus *c. 2. de Testam. in 6.* Clementina unica cod. tit. Excipe Fratres Minores de Observantia, Clementina *Exivi. De verborum significat. l. 5. tit. 11.*

Petes 1. Quomodo relicta incerta sint executioni mandanda? R. 1. Si incertitudo se teneat ex parte personae, puta legatarii, quia duo eodem nomine appellantur, nec aliquibus indicibus potest dignosci, de quo testator sit locutus, quidam arbitrantur legatum in hoc casu inter utrumque pro rata dubii in foro conscientiae esse dividendum. Attamen Jure civili legatum corrumpit. *L. Si fuerit & l. Si quis pluribus ff. de rebus dubiis & alibi.* Excipe legata ad pias causas, quae ob incertitudinem loci, vel Ecclesiae non satis distincte expressae non corrumpunt, sed loco, seu Ecclesiae pauperiori cedunt. *Authent. de Eccles. tit. c. 9.*

Quod si aliquid sit absolute relictum pauperibus, aut Ecclesiae sine ulla expressione loci, nec appareat, de quibus pauperibus, aut de qua Ecclesia intenderit testator loqui, executio fieri debet in loco ejus domicilii. *L. Si quis ad declinandum c. de Episcopis & Clericis l. 1. tit. 3.* nisi forte sit extraneus, cujus domicilium ignoretur, aut nihil distet; tunc enim distributio fiet pauperibus, aut Ecclesiae loci, in quo mortuus est *L. Nulli c. eodem.* Quidam volunt, nomine pauperum eos solos esse intelligendos, qui victum incertum habent ex eleemosynis fidelium; non autem Xenodochia, vel Monasteria, quae vel ex fundatione, vel ex eleemosynis collectum victum annuum sufficienter obtinent; sed in his inspicenda est, si potest, intentio testatoris. R. 2. Si incertitudo se teneat ex parte rei legatae, distinguendum est: Aut enim res est a natura determinata ad certos limites optimi, medioris, infimi, ut bos, equus, vinum, & tunc debet dari una ex mediocribus *L. Legato generaliter 37. ff. de Legatis.* Aut res est non a natura, sed ab arte, ut vestis, domus, &c. & tunc executor dando minimum liberatur. *ff. cit. Idem dicendum de rebus legatis in numero, pondere, & mensura, ita quod sufficiat tribuere minimum in eo genere & quantitate. l. 3. ff. De tritico, vino, & oleo legato.*

Petes 2. Utrum ultima voluntas defuncti, praesertim quoad legata pia, possit ab Episcopo, vel executore mutari in alium pium usum? R. 1. Si voluntas ultima defuncti possit honestè impleri, non licet Episcopo, aut executori in aliud opus, etsi videatur melius, commutare. *C. Conquestus. De foro competenti cap. 4. causa 3. q. 2. & Clementina Quia contingit. De Religiosis Domibus,* ubi dicitur: *Cum ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salva Sedis Apostolicae auctoritate, converti.* Solus ergo Summus Pontifex, tamquam Supremus piarum causarum administrator, potest justa de causa legata pia ad certum usum relicta absolute in alium commutare. Quod etiam aperte innuit *Trid. sess. 2. c. 6. de ref.* Quod autem potest SS. Pontifex circa legata pia, id videtur posse Supremus Princeps circa legata in bonum commune. Verumtamen, si causa aliqua incidens de novo, aut a testatore ignorata subsistat, quam si cognovisset, aliter disposuisset, aut si viveret, bene velle legatum suum in alium usum converteri, probabile est, quod tunc possit Episcopus cum executore in talium alterum usum convertere. v. gr. Testator legavit mille libras pro ornamentis Ecclesiae; Ecclesia non indiget ornamentis, puta, quia alter abundè providit, seu indiget restauratione tecti, aut pavimenti, videtur, inquam, quod Episcopus de consensu executoris, aut eo reuente solus possit eas pecunias in hunc usum magis Ecclesiae utilem, convertere; non quidem per dispensationem propriam, quae ad Summ. Pont. pertinet, sed per Episcopum, quod id non sit contra voluntatem defuncti: hanc enim interpretari proprie pertinet ad Episcopum, ut patet ex respons. seq.

R. 2. Si legatum ad pium usum, ad quem Testator destinavit, applicare non possit, non ideo corrumpit, quia principalis intentio Testatoris fuit salus animae & honor Dei, & ideo ab Episcopo & executore applicandum est ad alium pium usum, conformiter tamen, in quantum fieri potest, voluntati Testatoris: quod si executor sine justa causa abstat, id praestare poterit solus Episcopus: *Quia in omnibus piis voluntatibus est per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a Testatoribus id contingeret interdici.* *Cap. Tua nobis. de Testam. lib. 3. tit. 26. & cap. Nos quidem. ibid.*

Petes 3. Quandoquidem executor testamenti debet exequi voluntatem Testatoris? R. *(Quodlib. 6. a. 13. o.)* Statim moraliter, nisi sit justa causa differendi, *cap. Si haeres. De Testam.* Alioquin peccat, non solum contra legatarios, sed etiam contra Testatorem, ubi agitur de legatis piis. Ex hac enim protelatione differuntur suffragia, quae pro ipso propter legata funderentur, & quibus multum juvaretur. Dixi: *nisi sit justa causa differendi, (Ibid.)* qualis est v. gr. si ad modicum tempus differat, ut rebus defuncti melius venditis, ampliores eleemosynas dare possit; secus, si per multum tempus differat, ut non multo ampliores eleemosynas faciat. Hoc autem requirit prudentis executoris examen, ut scilicet, consideratis dilatione temporis & conditione personae, quae creditur citius, vel tardius liberanda, & etiam quantitate augmenti eleemosynarum, faciat, quod videtur expedire defuncto. Ceterum, si executor, seu haeres negligat exequi voluntatem defuncti, aut legata alio detorqueat, Judex sive Ecclesiasticus, sive Ci-

Civilis, Jure communi potest ipsum ad id compellere; est enim officium hujus Jurisdictionis mixti fori, daturque in locum praeventum.

Haec plusquam satis ad institutum nostrum, licet non-

dum satis pro amplitudine materiae, & Legum particularium diversitate; sed, ut jam monui, eas, & in eis peritosis quisque pro sua provincia consultat; nos enim ex Jure communi ut plurimum dictavimus.

DISSERTATIO III.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS,

ET PRIMO

DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Div. Thom. Quæst. 77.

ARTICULUS I.

Quid sit venditio? Quid Emptio?

Contractus venditionis & emptionis originem ducit a commutationibus. Antiquitus enim, antequam pecunia esset in usu, homines permutationibus sibi necessaria procurabant, ut qui habebat vinum ultra necessitatem & indigeret oleo, commutabat vinum pro oleo. At, cum sæpe contingeret, quod unus non haberet id, quo alter indigebat, & iste alter vicissim, resque commutandae sæpe essent inaequalis valoris, ut si equus cum asino esset permutandus; Jure, & consensu Gentium electa est certa materia, cujus publica & perpetua aestimatio difficultatibus commutationum subveniret. Ita *L. 1. ff. De contrah. Empt.* Hæc materia vocatur *numisma*, seu *nummus*, a voce græca *nomos*, id est, *Lex*; quia lege publica quantitatem aestimationis consequitur. Item *pretium*; quia rerum omnium commutandarum est publica mensura, & appretiatio. Tandem *pecunia*; quia primi nummi pecudis nota signabantur.

Venditio definitur in Jure: *Pactio mercis pro pretio*; & Emptio *pactio pretii pro merce.* Sunt ergo venditio & emptio duo contractus partiales correlativi unum integrum conicientes; qui dicitur emptio venditio, & definitur potest: *Contractus onerosus, mutuo consensu constitutus, dandi mercem pro pretio determinato, & pretium determinatum pro merce.* Et quia tenet locum permutationis, quidquid dicitur de emptione venditione regulariter est applicandum permutationi, quæ est contractus inordinatus, *Do, ut des.*

Explicatur. Dicitur 1. *Contractus onerosus*; quia utrimque oritur obligatio, in vendente dandi mercem, in emente dandi pretium. Dicitur 2. *Mutuo consensu constitutus*; quia substantialiter perficitur mutuo contrahentium consensu, signis externis a lege, vel voluntate partium requisitis manifestato; ita ut vi sua transferret dominium etiam absque traditione, nisi obstant Leges Civiles; quibus cautum est, non nisi traditionibus rerum dominia transferri. *L. 20. c. De pactis & l. 9. ff. De pub. in rem act.* Ex quo sequitur, quod iste contractus integer & complectatur per traditionem, & quod ante illam emptor habeat tantum jus ad rem, ita quod si res empta tradatur secundo emptori, valide tradatur, & primo emptori competat tantum actio in venditorem. Observat tamen Perfector Tourneli ex Jurispræditis Gallis, communiter in Gallia admitti fictam quandam traditionem, vi cuius rei immobilis dominium transferretur in emptorem statim ac perfectum est venditionis instrumentum, cui hæc aut similia verba inferuntur: *A transporte & transport per ces presentes tous droits de propriété, saisines, possessions, &c. sur le dit heritage dont il est saisi.* Sequitur insuper, saltem probabilis, quod si tributum pro venditione sit solvendum, istud debeatur ex ipso contractu inito ante traditionem; quia ut dictum est, mutuo consensu absque traditione est substantialiter perfectus.

Dixi: *Mutuo consensu, signis externis a lege, vel voluntate partium requisitis manifestato.* Quia, si instrumentum venditionis scribi debeat, si emptor rem gustare, probare, videre velit, quamvis de pretio sit conventum, nulla erit obligatio, antequam scribatur instrumentum, res probeatur, aut videatur. *L. 34. ff. De contrah. empt.* In Gallia edicto ann. 1566. venditiones, quæ excedunt 100. libellas, vel debent fieri coram Notario, vel partium subscriptione munitur, nec probatio per testes admittitur.

Dicitur 3. *Dandi mercem.* Per quod intelligitur omnis res pretio aestimabilis & vendibilis, non solum res mobilis venalis exposita, quæ proprie dicitur *merx*, sed & immobili-
Theol. Billuart. Secunda Secunda.

lis item jura, actiones, debita, servitutes, spes lucri; ut jac-tus reus, fructus pecoris, aut arboris, &c.

Dicitur 4. *Pro pretio*; quia, si res pro re daretur, vel pretium pro pretio, non foret venditio, sed permutatio, vel cambium, aut mutuum. Casu autem, quo pro merce daretur partim pecunia, partim res altera, si pecunia superet valore rem alteram datam, erit venditio; si e contra res altera data superet valore pecuniam, erit permutatio; quia a majori parte sumitur denominatio: si sint æqualis valoris, erit tributum solvendum pro rebus venditis in 1. casu debet solvi, non in 2. in 3. verò debet partim solvi.

Dicitur 5. *Pro pretio determinato*; quia, si non determinetur pretium, nulla est venditio. Unde, si emere volenti sic venditor dicas: *Quanti velis, quanti equum putaveris, quanti aestimaveris: habebis emptum*, nulla est venditio. *L. Quod sæpe 35. §. 1. ff. De contrah. empt. l. 18. tit. 1.* Similiter, si dicat: *Justo pretio*, nisi forte pretium sit lege taxatum, non est venditio. Secus, si pretium alicui tercio remittatur determinandum; ut si dicat emptor: *solvam, quod Titius decreverit.* *L. Ultim. c. De Contrah. empt. l. 4. tit. 38.* Similiter, si dicat: *emo quanti emisti, quanti venditur, aut vendetur tali tempore, in talibus mundis*; quia sic pretium est determinatum. Sicut autem pretium debet esse determinatum, ita videtur, quod merx debeat esse determinata, saltè quoad speciem, ut una ovis, duo boves.

ARTICULUS II.

Utrum liceat rem carius vendere. aut vilius emere, quam valeat?

Extra dubium est (*Q. 77. a. 1. o.*) rem vendere pluris, aut emere minoris justo pretio, fraude adhibita, ut frequentissime contingit inter mercatores, esse ex genere suo peccatum mortale injustitiæ; quia est decipere proximum in ipsius damnum, quod est aperte contra Justitiam ipsi debitam, & consequenter obnoxium restitutioni. Sed quid, seclusa fraude?

Dico 1. *(Ib.)* Carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, etiam seclusa fraude, est secundum se illicitum & injustum, proindeque restitutioni obnoxium. Ratio est; *(Ib.)* quia emptio-venditio est introducta pro communi utilitate utriusque contrahentis, dum scilicet unus indiget re alterius, & e converso; quod autem pro communi utilitate inducitur, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius, alioquin non servaretur æqualitas inter contrahentes, consequenter nec Justitia, quæ in æqualitate consistit.

Dices 1. Jure civili *C. l. 4. tit. 44. l. 2. ff. tit. 8.* rate habentur venditiones & emptiones, in quibus non servatur, justum pretium, modo non sint infra, aut supra medietatem justipretii: ergo. R. D. Ant. *(Ibid. ad 3.)* rate habentur, hoc sensu quod probentur, N. Hoc sensu quod tolerentur, quatenus ejusmodi venditiones Jus civile neque punit, neque contra eas dat actionem in foro exteriori, C. Et hoc ad vitandas lites, quæ continuo nascerentur, tunc ex vitiosa propensione, quam quisque habet emendi vili, & vendendi care; tunc ex difficultate probandi, quale sit summum, aut infimum pretium vulgare, quod admittit latitudinem, ut dicam modo.

Utrum verò daretur actio in foro exteriori contra venditiones, & emptiones supra, vel infra justum pretium lege taxatum, etiamsi non essent infra, vel supra medietatem justipretii? Quidam affirmant; quia, cum hoc pretium consistat in indivisibili, facile potest dignosci excessus etiam levis; nec tam frequenter contingunt transgres-